et commonens caecitatis vestrae. Cum enim dominus dixisset: In iudi-
cium enim ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cae-
ci fiant, quod eo tempore quando lectum est ut potuimus
exposuimus, quidam ex Pharisaeis dixerunt: Numquid et nos caeci su-
mus? Quibus respondit: Si caeci essetis non haberetis peccatum,
nunc vero dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet. His verbis
subiunxit ea quae hodie cum recitarentur audivimus. Amen
amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit
aliunde, ille fur est et latro. Dixerunt enim se caecos non es-
se. Videre autem tunc possent si oves Christi essent. Unde sibi usurpa-
bant lumen qui furabantur contra diem? Propter illorum ergo vanam
et superbiam et insanabilem arrogantiam dominus Iesus ista contexuit,
in quibus nos salubriter si advertamus commonuit. Multi enim
sunt qui secundum quandam vitae huius consuetudinem dicun-
tur boni homines, boni viri, bonae feminae, innocentes, et quasi
observantes ea quae in lege praecepta sunt, deferentes honorem
parentibus suis, non moechantes, non homicidium perpetran-
tes, non furtum facientes, non falsum adversus quemquam
testimonium perhibentes, et cetera quae lege mandata sunt ve-
lut observantes, Christiani non sunt, et plerumque se iactant quomodo
isti: Numquid et nos caeci sumus? Quia vero ista omnia quae faciunt
et nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt. Dominus de grege suo
et de ostio quo intratur ad ovile similitudinem proposuit in hodier-
na lectione. Dicant ergo pagani: Bene vivimus. Si per ostium non intrant,
quid eis prodest unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodes-
se bene vivere, ut detur illi semper vivere. Nam cui non datur
semper vivere, quid prodest bene vivere? quia nec bene vivere dicen-
di sunt qui finem bene vivendi vel caecitate nesciunt vel infla-
tione contempnunt. Non est autem cuiquam spes vera et certa
semper vivendi nisi agnoscat vitam quod est Christus, et per ianuam intret
in ovile. Quaerunt ergo plerumque tales homines etiam persua-
dere hominibus ut bene vivant et Christiani non sint. Per aliam par-
tem ascendere volunt, rapere et occidere, non ut pastor con-
servare atque salvare. Fuerunt ergo quidam philosophi

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0168